



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XLV. Gregorii Papae I. Ad Andream Scholasticvm. De ordinatione  
Mariniani presbyteri ad episcopatum, quem suscepit inuitus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

De ordinatione Mariniani presbyteri ad episcopatum,  
quem suscepit inuitus.

*Gregorius Andreæ scholastico.*

**E**XCELLENTISSIMI viri domni Patricii voluntatem in persona Donati archidiaconi implere volumus: sed quia valde periculosum est animæ temere cuiquam manum imponere, curæ nobis fuit vitæ actusque eius subtili inuestigatione discutere. Et quoniam multa inuenta sunt, sicut eidem domno Patricio scripsimus, quæ eum pro culpa ab episcopatu remouent, Dei iudicium metuentes, in ordinando eo non præsumpsimus consentire. Sed nec Ioannem presbyterum psalmorum nescium præsumpsimus ordinare, quia hæc eum res minus sui profecto habere studium demonstrabat. His igitur remotis, cum ad eligendum de suis a nobis partibus vrgerentur, & nullum se habere ad hoc officium faterentur idoneum, maiorque nos vna cum eis teneret afflictio, tandem venerabilem virum fratrem presbyterumque Marinianum, quem diu mecum didicere in monasterio conuersatum, communi concordantique voce atque consensu sapius petiuerunt. Cuique refugienti, diuersis modis vix aliquando potuit suaderi, vt eorum præberet petitioni consensum. Et quia bene nobis eius vita est cognita, atque in lucrandis animabus illum nouimus sollicitum, nullam in ordinatione ipsius moram attulimus. Gloria itaque vestra eum, sicut decet, suscipiat, nouitatique eius consolationis auxilium porrigat: nam omnibus, sicut nostis, cuiuslibet officii valde onerosa est nouitas. Ego autem magnam confidentiam habeo, quia omnipotens Deus, qui eum dignatus est suo gregi præponere, & ad interiora illum curanda exacuet, & ad exteriora gerenda gratiæ suæ pietate confortabit. Sed quia post longa quietis otia, eius, vt prædiximus, nouitas procul dubio perturbatur; peto, vt cum venerit tempestatum sæcularium procellas fugiens, semper apud vestram mentem portum quietis inueniat, & de vestra bono cari-

tatis hilarescat. Quantum vero vobis cum illo conuenire valeat, citius cognoscetis, quia ad episcopatum venit inuitus.

## EPISTOLA XLVI.

## GREGORII PAPÆ I.

AD LEANDRVM EPISCOPVM HISPALENSEM.

Libros in expositionem beati Iob, & librum regulæ pastoralis transmittit.

*Gregorius Leandro episcopo Hispalensi.*

QUANTO ardore videre te sitiam, quia valde me diligis, in tui tabulis cordis legis. Sed quia longo terrarum spatium disiunctum te videre nequeo, vnum, quod mihi de te dictauit caritas, feci, vt librum regulæ pastoralis, quem in episcopatus mei exordio scripsi, & libros quos in expositionem beati Iob iam dudum me fecisse cognouisti, sanctitati tuæ cum communi filio Probino presbytero veniente transmitterem. Et tuæ quidem caritati in eo opere tertiæ & quartæ partis codices non transmissi, quia eos solummodo inuenio, quos ex eiusdem partibus codicis, quos iam monasteriis dedi, excerpsti. Hos itaque sanctitas tua studiose percurrat, & peccata mea studiosius defleat, ne mihi culpæ grauioris sit, quod quasi scire videor quod agere prætermitto. In hac vero ecclesia quantis causarum tumultibus premor, ipsa caritati tuæ epistolæ meæ breuitas innotescit, quando ei parum loquor, quem magis omnibus diligo.

## EPISTOLA XLVII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD NOBILES SYRACVSANOS.

De episcopo eis eligendo, qui antecessoris probitatem imitari possit.

*Gregorius nobilibus Syracusanis.*

LAUDIS vestræ testimonium, quam direxistis epistola, Lectionis vos onera sapienter declinasse significat. Et quoniam nostro hoc arbitrio commisit, ac multa bona